

3.

resimo nascitur, subjiciens, usq; adeò mirum illud non esse, quum  
 magna generentur ex intervallo, atq; eximia ipsa raritate commen-  
 dari, ubi ex adversum mediocria & in turbam nascentia fortuna,  
 sepius producere soleat: Virum verò bonum neq; tam citò fieri posse,  
 nec intelligi; immò neminem scire, quid sit Vir bonus, si enim sciret,  
 nondum se esse crederet. Ac si regefferis huic Stoico, Virum esse  
 bonum, qui malè existimat de malis, statim tibi reponet, Malos  
 (†) idem hoc facere, & hanc esse maximam nequitia pœnam, sibi  
 suisq; displicere. Si porrò dicas, Virum esse bonum, qui oderit, si qui  
 subitâ & magnâ potentiâ impotenter utantur (quâ indignatione  
 Flaccus in Pompeji libertum Menam invehebatur Epod. IV,) iterum opponit Lucius noster, Non fore constans illud aut perpe-  
 tuum odium, quum ejusmodi censor idem facturus sit, quando idem  
 potuerit: Subjiciens memorabilem hanc gnomam, Multorum,  
 quia imbecilla sunt, latent vitia, non minùs ausura, cum illis vires sue  
 placuerint, quàm illa, quæ jam felicitas aperuit, quum instrumenta  
 illis nequitia desint. Sic tutò serpens, (subjicit Seneca) etiam pesti-  
 fera

(†) Equidem rectè, puto, hoc argumentum infringit Seneca,  
 quum & ipse Salvator noster Christus idem βίαιον apud Matthæum &  
 Lucam adhibuerit. In illius cap. V. vv. 47, 48: ait, Si dilexeritis eos, qui  
 diligunt vos, quod præmium habetis? Nonne & Publicani idem  
 faciunt? Et si complexi fueritis fratres vestros tantum, quid eximium  
 (περισσόν) facitis? Nonne & Publicani sic faciunt? Apud hunc  
 c. VI. v. 32.-34. idem urget: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis  
 est gratia? Nam & peccatores eos diligunt, à quibus diliguntur. Et si  
 benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siqui-  
 dem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis, à quibus spe-  
 ratis vos recepturos, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccato-  
 ribus dant mutuum, ut recipiant (ἰου) paria. Confer. c. XIV. v. 12.-14.

Vide omninò & huc adde verba Lutheri super v. ult. Ps. CXII X,  
 quæ exstant Tom. V. Jenensi, omnium sanè verissima.